

longa consuetudine introductum habetur, quod certis anni temporibus, et festivitibus a populo oblationes fiant. Divus Thomas, Abbas, Barbosa, Pirhing, loc. cit. et late Guttierrez, *Can. quest.* lib. II. cap. XXI, n. 140; et seqq. communissima aliorum. Idque probatur tum ex c. *Ad apostolicam* 42. de *Simonia*, ubi a laudabiles consuetudines aliquid dandi et offerendi ex devotione fidelium introductæ præcipiuntur observari; tum ex juribus n. cit. præcipue ex textu cau. *Omnis christianus*. 69, dist. 1. de *Consecrat.* ubi expresse statui videtur, quod oblationes, quæ in usu, sive in consuetudine sunt, observari debeant: etiamsi parochi aliunde jam sufficientes redditus habeant, uti bene observat Guttierrez, loc. cit. quando enim parochus eget, tenentur parochi ex alio titulo, et quidem naturali quo dignus est operarius mercede sua, ad oblationes juxta dicta.

185. *Per longum tempus, nempe decem annos.* — Ut tamen consuetudo faciendi oblationes obliget, duo præcipue requiruntur.

Primo, ut longo tempore jam vigeat hujusmodi consuetudo, videlicet per decennium, quod sufficit, juxta Guttierrez, loc. cit. n. 143; Barbosam, loc. cit. n. 11; Abbatem. in c. *Suam. de Simonia*; Covarr., *Variar. resolut.* lib. I, cap. XVII, n. 3; Navar., in *Manual.* cap. XIII, n. 19; Cassador., tit. de *Consuetud.* decis. 1; Pirhing, h. t. n. 174. et communem aliorum arg. § 1. *Instit. de Usucap.* ubi decem anni longum tempus efficere dicuntur. Ratio est, quia quando tanto tempore populus ex devotione facit oblationes voluntario ad eas se obligasse præsumitur; licet ab initio liberaliter incoperit offerre. Guttierrez, loc. cit. num. 40 et 43; Barbosa, loc. cit. et alii arg. *Ad apostolicam*. 42, de *Simonia*.

186. *Saltem a majori parte populi introducta.* — Secundo requiritur, et totus populus, vel saltem major pars observaverit dictam consuetudinem. Barbosa, loc. cit. n. 12; Paulus Castrensis, consil. 363, vers. 5. *Videtur requiri*; Navarrus, loc. cit.; Guttierrez, loc. cit. n. 150 et 151. eo quod singuli, vel minor pars communitatem sine consensu ejusdem obligare non possit. Uti etiam notandum cum Sylvestro, §, *Decimæ*. n. 4; Engel, h. t. n. 66, quod sicut ad introducendam consuetudinem hanc obligatoriam sufficit major pars populi, ita satisfiat obligationi, si obligationis tempore oblationes faciat major pars populi, etsi non singuli offerant,

et proinde mortale non committat, qui subinde oblationem præsertim ex aliqua ratione omittit.

187. *Populus oblationes ex consuetudine facere nolens compelli potest per episcopum.* — Quod si populus oblationes ex consuetudine debitas omitteret, vel ulterius facere recusaret, posset et deberet a locorum ordinariis compelli etiam per excommunicationem, si opus foret, Guttierrez, loc. cit. n. 10, cum communi aliorum ita intelligentes Glossam, in cau. *Statuimus*. 55, cau. 16, quæst. 1. ubi dicit, populum via excommunicationis esse compellendum ad faciendas oblationes, arg. cit. c. *Ad apostolicam*. 42, de *Simonia*. Imo addit Guttierrez, loc. cit. Paulus Castrensis, ubi supra, et alii, posse etiam singulares ita compelli, casu quo oblationes ex consuetudine debitas, vel nunquam facerent, vel quasi non debitas negligerent, aut prætextu libertatis dare recusarent, prout teste Guttierrez quidam parochianus oblationes pro defuncta matre ex eo capite, quod consuetudo offerendi voluntaria et libera esset, facere recusans, ab episcopo civitatensi per sententiam definitivam sub pœna excommunicationis fuit damnatus ad consuetas oblationes pro defuncta faciendas.

188. *Non item per parochum.* — Illud tamen scire oportet parochos, quod in casu negatarum vel negandarum oblationum, ipsimet populum, vel singulares propria auctoritate vi compellere non possint; multo minus propterea sacramenta, vel alia divina subtrahere valeant, sed si populus aut singulares modeste admoniti, obligationi suæ satisfacere recusarent, sed ad episcopum deferre, ejusque auxilium implorare debeat; prout cum citatis docet communis doctorum dicentium, ita intelligendum esse c. *Ad apostolicam*. 42, h. t. Accedit ratio, tum quod nemo possit esse iudex in propria causa; tum per vulgaria: tum quia adhuc dubium esse potest, an talis consuetudo legitime sit introducta, consequenter an non populus juste neget oblationes.

189. *Quando et quomodo per actus voluntarios introducatur consuetudo obligatoria?* — Obicies, ex actibus mere voluntariis non introducitur consuetudo obligatoria, nec ex datione annua gratis facta, ut habet communis, arg. l. I. c. de *Servitut. et aqua*. nam, ut exemplificat Innocentius in c. *Bonæ*. 2. de *Postulat. prælat.* ex eo, quod quis sæpius libere recipiat amicum, non induci obligatio-

nem, eum necessario recipiendi; nec obligationem contrahit rusticus ex eo, quod singulis annis per decennium par caponum alicui gratis detulerit, ut specificat Bartolus, in l. *Cum de in rem. ff. de Usur.* ergo nec ex eo, quod populus ex mera devotione per decennium oblationes faciat, eas in posterum facere obligabitur. Ad hanc objectionem varie respondent doctores, uti videre est apud Guttierrez, loc. cit. n. 144; Abbatem, in c. *Suam. de Simonia*. ubi n. 5. tribus modis solvit instantiam; optima videtur duplex sequens, qua Resp. I. distinguendo: Ex actibus mære facultatis non oritur consuetudo obligatoria, nisi ex præcedente causa, vel alia ratione juste præsumatur, agentes velle spontanee se obligare, conceditur; si ita præsumitur negatur. In proposito autem juste præsumitur, quod populus tanto tempore consuetudinem offerendi observans, spontanee se voluerit obligare ad easdem faciendas in recompensationem spiritualis obsequii a parochi in illum continuo præstiti ac præstandi, et ad recognoscendum Deum in muneribus suis, et ad redimenda peccata piis hisce oblationibus, arg. c. *Medicina*. dist. 1. de *Pœnit.* sicut in simili Bartolus, loc. cit. docet de rustico, qui per longum tempus solvit par caponum, aliqua causa prætexta: quia tenebat aliquid de Domino, ita Abbas, loc. cit. Resp. II. distinguendo: Nisi jura ipsa in favorem ecclesiarum consuetudines hujusmodi foveant, ejusque positive assistant, et semel introductas observari præcipiant, uti in presenti per textum in cit. c. *Ad apostolicam*. 42, de *Simonia*. conc.; secus negatur.

190. *Oblationes omnes de jure pertinent ad parochum loci.* — Quæritur III. Ad quem pertineant oblationes in, vel extra Ecclesiam factæ. Resp. Omnes et singulæ oblationes, quæ intra limites alicujus parochiæ fiunt, de jure communi ad loci parochum spectant, ita ut hic pro se fundatam in jure intentionem habeat, sive de in, sive extra Ecclesiam parochialem, v. g. in oratorio, sive in sacello privato, vel ad imaginem devotam, aut miraculosam, etiam in domo laici depictam, vel alibi extra Ecclesiam intra limites tamen parochiæ existentem offerantur: sicut etiam illæ, quæ sub Missa alicujus sacerdotis cujuscunque ad altare offeruntur, nisi aliud habeat loci legitime introducta consuetudo, aut aliter constet de offerentium intentione et voluntate. Fagnanus in c. *Pastoralis*. 9. de

*His, quæ fiunt a præla.*; van Espen, p. II, tit. XXXIII. cap. x. de *Oblation.*; Barbosa, de *Offic. et potest. paroch.* part. III. cap. xxiv. n. 22. seqq.; Pirhing, h. t. n. 159. et seqq.; Abbas, in cit. c. *Pastoralis*. 9. de *His, quæ fiunt a Prælat.* et in *Rubric. de Parochiis*. n. 5. in eadem Rubr. Hostiensis, n. 4; Engel, h. t. n. 68; Zerola, in *Praxi episcop.* p. I, §. *Parochia*. § *Ad quintum*; Azorius, p. I. lib. VII. cap. xxix. q. 13. et communissima aliorum, repetitis decisionibus Rotæ firmata. teste Fagnano, loc. cit. arg. c. *Pastoralis*. 9. de *His, quæ fiunt a prælat.* ubi omnes parochianorum proventus parochiali Ecclesiæ et ejus ministro attribuuntur, c. *Ex transmissa*. 10. de *Præscript.* can. *Quia sacerdotes*. 13. et can. *Sanctorum*. 14. cau. 10, q. 1. Ratio est, quia nisi aliter de intentione offerentis constet, oblationes fieri censentur parochi ratione curæ animarum, administrationis sacramentorum, et aliorum divinarum, arg. cit. can. *Quia sacerdotes*. 13, cau. 10, q. 1. ibi: « Quia sacerdotes pro omnibus orare debent, etc. oblationes accipiunt. »

191. *Nisi aliud constet de intentione dantis.* — Dicitur autem notanter in conclusione, « nisi aliud habeat loci consuetudo, aut aliter constet de offerentium intentione et voluntate: » quia conveniunt citati et alii doctores, quod si sufficienter constet, offerentem velle, ut oblationes suæ ad ornatum vel fabricam Ecclesiæ, vel alterius causæ piæ applicentur, vel pro commodo alterius sacerdotis celebrantis, et non parochi cedant, dictæ intentioni satisfieri, et juxta eam oblationes applicari debent. Ratio est, quia cum oblationes ordinarie loquendo, voluntariæ ac liberæ sint, haud dubie juxta intentionem dantis applicari debent, cum quivis libere donans et offerens rerum suarum moderato et arbiter existat, l. *In re mandata*. c. *Mandati*.

192. *Aut nisi aliud habeat consuetudo loci.* — Pariter conveniunt doctores, ut videre est apud citatos, præsertim Fagnanum, loc. cit. n. 36. ubi dicit, omnes doctores tenere, quod si alicubi legitime introducta consuetudo habeat, ut oblationes non ipsi parochi, sed Ecclesiæ, vel alii pio loco, vel causæ ad ornamentum, vel fabricam v. g. aut alii sacerdoti celebranti acquirantur, licita et valida sit, consequenter observanda, atque juxta eam oblationes applicandæ erunt, arg. c. *Cum inter*. 29. de *Verb. signif.* et c. *fin. de Consuetud.*



193. *Observantia practica, ad quem hodie oblationes pertineant?* — Infertur proin, quod oblationes, quæ sub primitiis fiunt, vi universalis consuetudinis, atque intentionis dantium ad neomistam pertineant, parochi penitus nihil juris in eas habente, uti bene observat Fagnanus, in c. *Pastoralis. 9. de His, quæ fiunt a prælat.* Infertur secundo, quod oblationes, quæ fiunt in sacellis, oratoriis, aut aliis locis, in vel extra Ecclesias, ubi imagines miraculosæ depictæ vel sculptæ existunt, non ad parochum, sed ad Ecclesiam ipsam, vel sacellum pro fabrica, vel ornatu Ecclesiæ, vel imaginis, vel pro construenda in honorem imaginis majori et splendidiore Ecclesia, etc. spectent; quia consuetudo pene universalis dicto fine, et non parochi similes oblationes attribuit, illucque intentio dantium, et non utilitatem parochi respiciat, uti bene notat cardinal. de Luca, de *Decimis*, discours. 19. num. 11. Ex eadem ratione infertur tertio, quod oblationes, quæ fiunt in truncis, mensis, capsulis, etc., pro capiendis oblationibus in vel extra Ecclesiam positis, non ad parochum, sed ad Ecclesiam ipsam, vel alium certum finem (casu quo pro illo specialiter capsula v. g. exponitur) pertineant, utpote pro quo, et non pro parochi consuetudo et intentio offerentium stat: ut proin hodie pene solæ oblationes, quæ in Ecclesia sub Missis ad altare fiunt, et quæ pro administratione sacramentorum, pro benedicendis nuptiis, aut mulieribus post partum, pro exequiis et sepulturis aut aliis similibus functionibus specialiter offeruntur, ad parochum spectent, consuetudine reliquas ferme omnes Ecclesiis ipsis, aut sacellis, aut aliis certis finibus applicent; ut cum aliis bene notat Van Espen, in *Jure eccles. uni.* p. II. tit. XXXIII. c. x.

194. *Parochi omnium oblationum etiam ad æ non pertinentium administrationem habent. Laici ex consuetudine oblationes administrare, non tamen sibi applicare possunt.* — Notandum tamen, quod etsi ex consuetudine, aut intentione offerentium oblationes non ad parochum, sed ad Ecclesiam, vel alium finem

pertineant, parochus tamen earum administrationem habeat, non quidem, ut eas sibi appropriet, sed ut ad debitum finem juxta consuetudinem loci, aut intentionem dantium applicet. Fagnanus, loc. cit. num. 30; Abbas, in c. *Pastoralis. 9. de His, quæ fiunt a prælat.* n. 2; Van Espen, loc. cit. n. 24, et alii; nisi et circa hanc administrationem aliud habeat loci consuetudo; prout in pluribus locis videmus, ubi etiam laici vel soli vel una cum parochi oblationes administrant; quod omnino licite fieri posse, pro indubitato asserit Van Espen, loc. cit. pluribusque demonstrat cardinal. de Luca, Fagnanus, loc. cit. n. 30. et alii; eo præcipue fundamento; quia talis administratio non est alius juris spiritualis, sed rei mere temporalis, prout consideranti patet: ut proin sicut laicus tales oblationes, ac reliquam Ecclesiæ suppellectilem custodire, ita eandem administrare, ac pro debito usu applicare potest, ubi id habet consuetudo; quamvis nulla consuetudine introduci queat, ut laici oblationes ipsimet pro se ipsis recipiant, eo quod jus percipiendi oblationes sit spirituale, cujus laici incapaces sunt. Abbas, loc. cit. n. 2; Pirhing, h. t. in fine; Fagnanus, loc. cit. n. 19, et seqq. textu expresso can. *Hanc consuetudinem.* 15, et can. *Quia sacerdotes.* 13, cau. 10. q. 1. et c. *Dudum.* 31. h. t.

195. *Oblationes in Ecclesiis regularium factæ, ad religiosos monasterii pertinent.* — Quæritur IV. Ad quem pertineant oblationes, quæ fiunt in Ecclesiis regularium. Resp. Eas pertinere ad monasterium pro religiosis ibi servantibus; Fagnanus, loc. cit. n. 34; Abbas, in c. I. *de Statu monach.*; Pasqual., in *Addit. ad Laurent. de Franch.* p. II. q. 69; Engel, h. t. n. 69, arg. cit. cap. I. *de Statu monach.* ibi: « Cum monachis ibi servantibus debeat proficere; quidquid a fidelibus offerri contigerit. » Ratio est, quia licet religiosi sint intra limites parochiæ, non tamen sunt de parochia, nec divina a parochi accipiunt, et ideo oblationes inibi factæ ad parochum non pertinent.

## ADNOTATIONES

### IN TOMUM QUARTUM ANACLETI REIFFENSTUEL

#### ADNOTATIO I.

*Lib. III. Decretal. Tit. VI. De Clerico ægrotante vel debilitato, § II, n. 58, pag. 13.*

DE MODO SUBVENIENDI PAROCHO INFIRMO ET EJUS COADJUTORI.

« In capite *De rectoribus*, hoc titulo, præcipit Pontifex assignandam esse congruam portionem de redditibus Ecclesiæ parochialis coadjutori, qui dandus est parochi lepræ infecto, ut ipsius vice curam animarum gerat. Cumque nihil statuatur quantum hæc portio esse debeat, taxanda est arbitrio episcopi eo pari modo quo conc. Trident. cap. XVIII, sess. XXIV, *de Reform.* declaravit de vicario deputando in parochiali Ecclesia vacante, donec novus rector instituat.

« Qui sane coadjutor cum eadem congrua, ex decreto ejusdem Trident. cap. VI, sess. XXI, *de Reform.* nedum dandus est parochi leproso, sed etiam illiterato et imperito.

« An autem hujusmodi portio referenda sit ad solam ipsius coadjutoris sustentationem quotam vel qualitatem, aut ad annum Ecclesiæ valorem seu redditum, Fagnanus in hoc eod. cap. n. 10 refert S. Congregationem declarasse ad hæc omnia esse referendam.

« Quod si quæras an prius providendum sit coadjutori vel parochi ægrotanti, quando redditus Ecclesiæ non sufficiunt ad honestam utriusque vitæ sustentationem, sentio præferendum esse parochum. « Alioquin, ut optime animadvertit idem » Fagnanus, loco cit. n. 12, si ægroto subtraherentur stipendia, hoc exemplo deterriti, non invenirentur qui vellent Ecclesiæ militare, ut legitur » cap. I. *Cum percussio*, hoc eod. tit. et ita ex hoc » videretur perturbari status ecclesiasticus nedum » præsens sed etiam futurus. »

« Imo neque posset comelli ad assignandum congruum stipendium coadjutori ante deducta alimenta ad propriam sustentationem necessaria, et declaravit etiam congregatio conc. in *Albiganens.*

*parochialium*, 1 sept. 1663, libr. Decretor. XXV pag. 594.

« In hoc igitur casu erit cura episcopi parochianos cogere ad subministranda alimenta coadjutori eo pari modo quo eos cogere debet ex declaratione ejusdem Congr. in *Novarien.* et *Cremonen.* lib. III Decretor. pag. 35 et 49, quando juxta decretum Trident. cap. IV, sess. XXI *de Reform.* ob numerositatem populi dandus est parochi coadjutor, si per se solum non sufficiat animarum curam exercere; vel quando erigenda est nova parochia, ne propter locorum distantiam parochiani cogantur cum magno incommodo accedere ad Ecclesiam parochialem pro sacramentorum receptione. » (Givaldus, *Expositio juris pontificii juxta recentiorum Ecclesiæ disciplinam*, part. I. sect. 441).

#### ADNOTATIO II.

*Lib. III Decretal. Tit. VI, § II, n. 63, pag. 14.*

DE CANONICORUM COADJUTORIBUS.

Non tantum episcopis aut aliis prælatis, et parochiarum rectoribus, aliquando dantur coadjutores, sed etiam canonicis. Cum de istis plane sileat auctor noster, ex cap. XIX. operis Barbosa, *De canonicis et dignitatibus*, illa quæ sequuntur depromere opportunum ducimus:

« Quamvis conc. Trident. sess. XXV, *de Reform.* cap. VII. statuerit ut nemini in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis permitterentur perpetuæ et irrevocabiles coadjutorie cum futura successione, et juxta illius dispositionem fuerit sic inviolabiliter observatum usque ad tempus Sixti V, tamen ab eo usque ad hæc tempora concessæ fuerunt et conceduntur in dignitatibus, canonicatibus et portionibus cathedralium et collegiarum ecclesiarum a solo scilicet Papa et non ab alio, quamvis sit legatus seu nuntius...

« Coadjutoria in prædictis casibus conceditur propter infirmitatem, vel propter senectutem; nam si dicta sit propter ingravescentem ætatem, verificanda est in ætate sexaginta annorum, et,